



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

52. Megengor comes in venendo egreditur limitibus suis, idque sine omni culpa in locis nullâ sepe clausis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

tum, quod ad præscribendum requiritur.

Atque ex his patet ad rationem in oppositum; nam ad inchoandam præscriptionem non necessariò requiritur bona fides quasi intrinsecè, sed sufficit aliena extrinsecè adueniens, qualem à Marcellino Authore habet in proposito Marcellus eius successor.

LII. *Megengor Comes venando egreditur subinde limitibus suis, capitque feras in locis Comiti Bauoni eius vicino subiectis, nullâ tamen sepe clausis. Queritur. Vtrum peccet, teneaturque ad restitutionem?*

Videtur peccare mortaliter, & teneri ad restitutionem. Ita Bonac. D. I. de restit. in genere. q. 3. p. 7. n. 22. Molinam, Filliuc. Sa, & alios citans. Mouetur, quia peccat contra Iustitiam, & lædit Ius Bauonis, quod habet in locis istis. Sed qui peccat contra Iustitiam in re graui, qualis est præfens, peccat mortaliter, teneaturque ad restitutionem damni, quod patitur is, ad quem ius venandi pertinet, non quidem habitâ ratione valoris animalium, sed damni vel lucri cessantis.

Resp. Megengorem non peccare saltem mortaliter, nec teneri ad restitutionem. Ita Dicastillo L. 2. de Iust. D. 9. n. 308. post Vasq. Turrian. & alios. Ratio est, quia Bauo non habet ius ad rem circa illa animalia, quæ iure gentium sunt comûnia; titulus autem, quem ad districtum illum habet, solùm ipsi concedit

dit ius ad licitè & impunè capienda animalia in eo, & arcendos ab eodem alios venatores; imò & puniendos, si fuerint deprehensi.

Vnde patet ad rationem in oppositum; totum enim ius, quod habet Bauo, illæsum relinquit Megengor, impediens solùm consecutionem ferarum à se captarum, ad quas Bauo ius non habet, antequam illas apprehendat, quæ impeditio culpam venialem non excedit. Adde nec venialem culpam committi; cùm enim passim sciatur, alterum in alterius venationis locum excurrere, videntur Domini vicissim condonare hanc laesionem, contenti mulctâ certâ, si quis, in factò deprehendatur.

LIII. *Meletius Parochus à Iudice interrogatus, an reum talium & talium criminum teneatur condemnare? respondet teneri, quem igitur morti addictum comitans suggerit ministris Iustitiæ breviorẽ viam, & eosdem subinde in via ad celeriorẽ gressum hortatur. Idem in loco supplicij reo acclamat, vt scalam ascendat, collum laqueo ingerat, & morti subeundæ se tradat, quem deinde iam pendulum adhuc vivere cernens abcedenti id indicat carnifici, qui denuo collum sine comprimit, donec spiritum elidat. Queritur. Virum Meletius ex his sit irregularis?*

Videtur esse, tum ex defectu lenitatis iuxta cap. 3. ne clerici & alia iura, tum quia ex communi sententia irregularitatem incurrit præbens